

commendat Christus tanquam *maximum & primum mandatum* : (*Matth. 22. 38.*) atqui præceptum illud impleri non potest, quin omnia nostra ad Deum, tanquam finem ultimum, ex aliqua dilectione referamus, ut patet & SS. Patres exponunt.

Cum autem ait ex toto corde, ex tota anima, inquit Augustinus, nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat & quasi locum dare ut aliâ re frui velit; sed quidquid aliud diligendum venerit in animam, illuc rapiatur quò totus dilectionis impetus currit quisquis ergo se & proximum rectè diligit, totam dilectionem suâ & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se rivulum duci extrâ patitur, cujus derivatione minuatur. (*Lib. de Doctrina Christiana, cap. 22. tom. 3. part. 1. pag. 11.*)

Sub præcepto caritatis continetur, ait S. Thomas, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum; & idèd præceptum caritatis implere homo non potest; nisi etiam omnia referantur in Deum. (*1. 2. quæst. 100. art. 10. ad 2.*)

Non aliter maximum illud mandatum interpretatur Bossuet: *Le Langage humain étant trop faible pour expliquer l'obligation d'aimer Dieu, le S. Esprit a ramassé tout ce qu'il y a de plus fort pour nous faire entendre qu'il ne reste plus rien à l'homme qu'il puisse se réserver pour lui-même; mais que tout ce qu'il a d'amour & de forces pour aimer, se doit réunir en Dieu Tu aimeras le Seigneur ton Dieu, uniquement, comme il est unique, ... en consacrant à ce premier Etre, principe & moteur de toute la nature, l'amour qui est le principe & le moteur en toi-même de toutes tes affections Tu peux bien changer tes autres emplois, mais celui d'aimer Dieu & de lui plaire est le soin perpétuel de ta vie. (*Meditat. sur les Evang. tom. 9. pag. 154 & suiv.*)*

Eodem divinæ legis præcepto teneri hominem

omnes suos actus ad Deum referre, expressè etiam declaratur in corpore doctrinæ, cui anno 1720 centum Gallicani Episcopi subscripserunt: *L'obligation de rapporter à Dieu toutes ses actions, renfermée dans le premier précepte, fait partie du culte que nous devons au Souverain Etre, & de la gloire que nous sommes obligés de lui rendre. La doctrine qui établit cette obligation a de trop grands fondemens dans l'Ecriture & dans la Tradition, pour souffrir que des Auteurs téméraires osent la combattre. (art. 4. edit. in-4^o. pag. 38. & 39.)*

ARG. II. Ex Apostolo.

1^o. *Omnia vestra, inquit, in caritate fiant* : (*1. Cor. 16. 14.*) quibus in verbis non merum consilium, sed verum præceptum agnoscit Augustinus: *Præcipit Apostolus dicens: Omnia vestra in caritate fiant* : (*Lib. de corrept. & grat. cap. 3. tom. 10. pag. 752.*) atqui sententia tam universalis nullam excipit actionem, quæ ex amore Dei, seu propter Deum, tanquam finem ultimum, fieri non debeat. Hunc locum exponens Angelicus Doctor, *Omnia, inquit, referri debent ad finem caritatis, ut scilicet fiant propter Deum.* (*Leç. 3.*) 2^o. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* (*1. Cor. 10. 31.*) *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi* : (*Coloss. 3. 17.*) atqui verba tam generalia nullam excludunt actionem, quæ propter gloriam Dei & in nomine Domini nostri Jesu Christi non facienda sit. Quis autem dixerit opus aliquod propter Dei gloriam fieri, nisi ad Deum, tanquam finem ultimum, ex dilectione saltem inchoatâ referatur?

Respondent nonnulli id quidem suaderi ab Apostolo, ut quid optimum, non verò præcipi; sed vanum est illud effugium, Apostolus enim

utitur verbo imperativo *facite*, nihilque adjicit quo significet à se merum dari consilium. Præterea verbis apostolicis verum præceptum exprimi docent SS. Patres.

S. Basilius: *Christianus omni actione tum parvâ, tum magnâ ad Dei voluntatem directâ, ... perficit præceptum illud: sive manducatis, sive bibitis, &c. (Tom. 2. pag. 343. edit. Bened.)*

S. Bernardus: *Quidquid facimus, jubemur facere propter gloriam Dei. (Serm. 2. de diversis, n. 5.)*

S. Thomas: *Quidam dicunt quod hoc apostolicum est consilium; sed hoc non est verum. (Lect. 3. in cap. 3. ad Coloss. sub finem.)*

ARG. III. Ex SS. Augustino & Thoma.

S. Augustinus: *Ea sola bona opera dicenda sunt quæ fiunt per dilectionem Dei. (in Psal. 67. n. 41. tom. 4. pag. 686.) Nec enim fructus est bonus, qui de caritatis radice non surgit. (Lib. de Spiritu & Littera. Cap. 14. n. 26. tom. 10. pag. 100.) Omnia præcepta dilectionis, id est, caritatis, tanta ac talia sunt, ut quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine caritate, nullo modo fiat bene. (Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 18. n. 37. pag. 737. tom. 10.)*

Quid boni faceremus, nisi diligeremus? aut quomodo bonum non facimus, si diligamus? Etsi enim Dei mandatum videtur aliquando à non diligentibus, sed à timentibus fieri, tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur. (Lib. de gratia Christi. Cap. 26. n. 27.)

S. Thomas: *Sine caritate potest quidem esse aliquis actus bonus ex suo genere (sive quoad substantiam) non tamen perfectè bonus, quia deest dedita ordinatio ad ultimum finem. (2. 2. quæst. 23. art. 7. ad 1.)*

Ex iis & aliis innumeris testimoniis quæ prætermittere jubet brevitas, spontè manat istud

argumentum: propter Deum, tanquam finem ultimum, semper agere debemus ex amore saltem inchoato, si absque divina dilectione sive caritate nullum sit opus bonum, & *desit debita ordinatio ad ultimum finem*: atqui ex SS. Augustino & Thoma, absque divinâ dilectione, &c. ergo, &c.

Tanquam auctoritatem ut declinent quidam adversarii, comminiscuntur in prolatis Augustini locis agi de caritate *habituali*. Quid verò id aliud est, quàm S. Doctore gravissimum errorem affingere? positâ enim hâc interpretatione, docuisset nullum esse fructum bonum, qui *de caritatis habitualis radice non surgat*; sine caritate *habituali* opus nullo modo fieri *benè*: sine caritate *habituali* nullum bonum opus imputari, nec *rectè* bonum opus vocari. Quis verò nesciat doctrinam hanc non semel fuisse ab Ecclesia anathemate percussam?

Alii verò inter quos Honoratus Tournely, contendunt his in locis *caritatis* nomen, non proprio, sed latissimo quodam sensu accipi ab Augustino, pro quâvis scilicet honestâ mentis affectione; sed immeritò prorsus. Eam quippè caritatem commendat, quâ Deus propter se diligitur, illoque æternum frui desideramus. Quid enim eâ voce intelligat & intelligi velit, sic apertè declarat: *Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, se verò & proximo propter Deum. (Lib. 3. de Doctrina Christiana. Cap. 5. n. 8.)*

ARG. IV. Ex Censuris apologiæ Casuistarum.

Adeò certa & inconcussa est quam defendimus doctrina, ut eam infirmare ausus Casuistarum defensor (*Pater Piroi Jesuita*) Episcoporum censuras effugere non potuerit. In sua pro Casuistis apologia (pag. 165.) dixerat: *Si les adversaires des Casuistes n'ont à nous débiter que les erreurs de ceux qui tiennent pour maximès, que les Chrétiens doivent en toutes leurs actions aimer Dieu, & qu'il n'y a*

point d'adion vertueuse, si elle n'est commandée par la charité, nous n'approuvons point ces erreurs. Arrogantiam hanc ferre non potuit Clerus Gallicanus.

Archiepiscopus Senonenſis (de Gondrin) in cenſurâ latâ die 3 Septembris an. 1658, & in Synodo provinciali an. 1660. renovatâ & confirmatâ, sic pronuntiat: *Hæc propositio, quatenus erroris accusat sanctissimam doctrinam, quâ Christianis omnibus præceptum asseritur ut omnes actus suos ad Dei honorem (actu scilicet vel virtute) referant, temeraria & falsa est, Patribus, S. Thomæ & clarissimis Theologiæ Doctõribus injuriosa, qui in his Pauli verbis: Omnia vestra in caritate fiant, & in illis item: sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, verum præceptum semper agnoverunt, quod violari sine aliquo peccato vel mortali, vel veniali non possit.*

De prædicta propositione simile iudicium tulerunt illustrissimi Præsides de Busanval Bellovacensis (de Beauvais) in cenſura 12 Novembris 1658; de Vantadour Bituricensis (de Bourges) in cenſura 6. Februarii 1659: Ebroicensis (d'Evreux) in cenſura 15 Januarii ejusdem anni; de Forbin de Janson, tunc Dinienſis, postea Bellovacensis Episcopus & Cardinalis in cenſura 6 Maii ejusdem anni, cujus insignia sunt hæc verba: *Vous trouverez dans l'Écriture sainte que comme la vérité nous oblige de reconnoître Dieu comme le premier principe de toutes choses, la charité nous oblige de rapporter toutes choses à Dieu, comme à la dernière fin, ou par un mouvement actuel, ou par une impression virtuelle qui naît de son amour, & que l'on n'y peut manquer sans quelque désordre, & par conséquent sans quelque sorte de péché.* Eandem doctrinam vindicârunt alii multi Præsules.

ARG. V. Ex approbatione à Summo Pontifice Innocentio XI, datâ Sacræ Facultatem Lovaniensis doctrinæ.

Lovanienses Theologi, cùm sexaginta quinque propositiones solutioris disciplinæ moralis Innocentio XI an. 1677 denuntiassent, suæ etiam doctrinæ articulos eidem simul per suos Legatos obtulerunt expendendos. Ita verè se habet quintus: *Omne opus, ut plenè sit bonum, & ne venialiter quidem in eo delinquatur, debet ex tali caritate (pro quolibet amore Dei propter se acceptâ) procedere, & per ipsam referri in Dominum Deum: nec enim, teste Augustino, fructus est bonus qui de caritatis radice non surgit.* Quid autem evenit? sexaginta quinque propositiones ab ea Facultate denuntiatas damnavit Summus Pontifex: articuli verò Lovanienses nullam experti sunt cenſuram, & intacti remanserunt.

ARG. VI. Ex Rationibus Theologicis.

1º. Fatentur adversarii omnes actiones nostras ad Deum, tanquam finem ultimum, esse referendas: atqui id fieri non potest sine aliqua Dei propter se dilectione. Quid enim est quidpiam tanquam finem ultimum intendere, nisi illud ita prosequi, ut in ipso sistat voluntas & ultra non excurrat? quod profectò nihil aliud est, quàm rem ipsam propter se diligere.

2º. A Deo creante & conservante habemus quidquid vitæ, quidquid facultatis, quidquid boni & perfectionis nobis inest. Atrocissimum igitur ingrati animi vitium effugere non possumus, nisi totam vitam nostram, singulas illius partes, & proinde actum omnem deliberatum amoris & obsequio Dei semper devoteamus. Hinc S. Augustinus de primo & maximo Dei mandato disserens,

Hæc regula dilectionis, inquit, divinitus constituta est, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam tuam, & omnem intellectum tuum in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers. (Lib. I. de Doctrina Christ. cap. 22. tom. 3. part. I. pag. II.)

3°. Quisquis immensum redemptionis nostræ beneficium grato animo recogitaverit, & quo pretio Christus à servitute nos liberavit, is profectò nunquam dubitabit quin omnes actus nostros ad Deum tanquam finem ultimum, ex dilectione saltem inchoata referre teneamur. Tantà Christi caritate percussus, non poterit non exclamare: *Super omnia amabilem te mihi reddit, ô bone Jesu, ignominiosissima & amara mors, quam sustinuisti, opus nostræ redemptionis. Hoc solum omninò totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obsequium nostrum, amorem denique nostrum facile sibi vindicat totum.* (Lib. de diligendo Deo, apud Augustinum in Append. tom. 6. pag. 82.)

Et verò nos sibi totos, velut servos emptitios, Redemptor acquisivit juxta illud Apostoli: *Non estis vestri: empti enim estis pretio magno:* (1. Cor. 6. v. 19 & 20.) atqui servus, modico licet pretio comparatus, non sibi, sed domino suo tenetur operari: quanto magis igitur nos tanto pretio empti, non ipsis nobis, sed Domino & Redemptori nostro, debemus quidquid agimus consecrare! Totam vitam nostram & non aliquam duntaxat ejus partem redemit, & suo sanguine acquisivit; ergo totam vitam nostram, & non quædam tantum illius momenta, in gloriam ejus & amorem impendere debemus. Hinc Apostolus, nullo tempore, nulloque opere excepto, generatim sic pronuntiat: *Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant; sed ei qui pro ipsis mortuus est.* (2. Cor. 5. 15.)

Observatio.

In eo quidem consentiunt Theologi, quòd

peccetur quoties actus deliberatus ad Deum, tanquam finem ultimum, non refertur; sed alii peccatum in agente, alii verò in actione ipsa residere existimant. Hujusmodi autem controversia in verbis, potius quam in ipsa re, sita est. Sive enim agentem, sive actum prædictæ relationis defectu vitari dixeris, nihil interest. Nihilominus enim utrinque certum est, sine peccato fieri non posse, ut opus deliberatum ad Deum, tanquam finem ultimum, non referatur. Modò hæc veritas in tuto sit, de illa quæstione nominis nihil aut parùm laboramus. Utrumque loquendi modum indiscriminatim adhibent SS. Patres. Ex. g. sic habet Augustinus: *Cùm itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur.* (Lib. 4. contra Julian. cap. 3. n. 21.) Ibi homo ipse peccare dicitur, quando suam actionem ad finem debitum non refert. Ibidem verò actionem ipsam peccatum esse docet: *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, est officio videatur bonum, ipso non rectò sine peccatum est.* (ibid.)

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Ex vulgari axiomate, præceptum affirmativum non obligat semper & pro semper: atqui præceptum jubens propter Deum, tanquam finem ultimum, agere, est affirmativum; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Præceptum affirmativum quod omnia vitæ tempora, omnesque actus nostros non complectitur, non obligat semper & pro semper, conc. maj. præceptum affirmativum quod omnia vitæ tempora, omnesque actus nostros complectitur, non obligat semper & pro semper, neg. maj.

Objectum axioma non spectat nisi præcepta affirmativa quæ nec omnia vitæ tempora, nec omnes

hominis facultates, nec omnem illarum usum comprehendunt; qualia sunt parentes honorandi, & pauperes sublevandi præcepta: neque enim semper & quolibet tempore tenemur hujusmodi actus exercere; sed tantum ubi sese dederit occasio: at præceptum diligendi Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus, ex quo nascitur lex actiones nostras ad Deum, tanquam finem ultimum, referendi, illud, inquam, præceptum & totum hominem & omnes ejus actiones complectitur, ita ut nullam vitæ nostræ partem excipiat, quæ illa dilectione vacare citra culpam possit, ut supra expositum fuit.

Inst. Homini impossibile est omnes actus suos ad Deum referre; ergo præceptum de quo agitur ad omnes actiones nostras non pertinet.

Resp. Dist. ant. Homini impossibile est singulos actus suos ad Deum referre intentione *actuali* & *expressâ*, conc. aut intentione *virtuali*, neg. ant.

Ille agit propter finem intentione *actuali* & *expressâ*, qui attendit & recogitat finem quem sibi proposuit. Is autem *virtualiter* agit propter finem, qui virtute intentionis prius conceptæ, in suoque animo etiamnum moraliter perseverantis, aliquid operatur propter finem sibi propositum. Impossibile quidem est omnes & singulas actiones nostras ad Deum dirigere intentione & cogitatione *actuali*. mentem enim humanam in Deum continuo intentam esse, non sinunt variae quibus distrahimur curæ, naturæque infirmitas & inconstantia.

Sed possumus omnes actus nostros ad Deum referre intentione saltem *virtuali*. Ad illud enim præstandum satis est, ut agamus ex consilio in omnibus Deo placendi, quod prius in animo conceptum, deinde revocatum non fuerit: atqui hoc modo propter Deum semper agere possumus. Nonne ex amore beatitudinis semper agimus, quamvis de ea sæpè non cogitemus! Nonne mercator lucri cupidus illud in omni emptione & ven-

ditione intendit, licet de lucro semper non cogitet? Nonne viator patriæ amans, ad illius desiderium suos omnes gressus refert, quamvis aliis cogitationibus interdum distrahatur? Quam multa filius benè natus quotidie facit ex amore parentum, quæ tamen faciendo de parentibus *actu* non cogitat.

Ne autem propositum Deo in omnibus placendi, vi cujus propter Deum verè agimus, sensum debilitetur & elangueat, illud exsuscitemus necesse est, actiones nostras ad Deum *actuali* intentione frequenter referendo, eumque in operis suscepti decursu *piâ* cordis affectione invocando.

Objic. 2°. Actiones ex se bonæ, honestæ & rectæ rationi consentientes, bonitate sibi propriâ, quasi quodam pondere, ad Deum diriguntur; ergo minimè necesse est ut agens ad Deum hujusmodi actiones referat ex intentione sive dilectione etiam *virtuali*.

Resp. Neg. maj. Possunt quidem prædictæ actiones ad Deum referri, ut pote bonæ & honestæ; minimè verò referuntur ex se & bonitate propriâ. Vera enim ad Deum relatio nec esse nec concipi potest, sine aliquâ voluntate, sine aliquâ intentione quâ tendimus ad Deum: atqui nemo sanus dixerit actionibus, quantumvis bonis & rectæ rationi consentaneis, inesse aliquam voluntatem aut intentionem; hæc non operis, sed operantis propria sunt, qui cum sine intentione & amore esse nequeat, vel ad Deum, vel ad creaturam, tanquam finem ultimum, suam refert actionem. Si primum, rectè agit; si secundum, bonæ quidem in se sunt actiones, sed ipse bonus non est, cum in creatura, non in Deo sistat & conquiescat.

Obj. 3°. Ex doctrina nostra sequeretur peccatum esse pauperum indigentiam ex misericordiæ affectu sublevare, nisi actus ille ad Deum, tanquam finem ultimum, referatur: quod profecto durissimum est.

Resp. hujusmodi actum in seipso quidem bonum esse, & ratione tunc objecti, sive officii, tunc finis proximi; at vitiosum ratione finis ultimi. Si enim ad Deum ultimum non referatur, in creatura hæreat necesse est; nihil enim datur medii; atqui vitiosum est quidquid in creatura, tanquam sine ultimo, sistit.

1^o. Enim quidquid se putaverit homo facere bene, inquit Augustinus, si fiat sine caritate, nullo modo fit bene. (Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 18. n. 37. tom. 10. pag. 737.) Atqui sine caritate fit quidquid propter creaturam, tanquam finem ultimum agitur; ergo, &c.

2^o. Qui non facit opera bona, intentione fidei bona, hoc est, ejus quæ per dilectionem operatur; totum quasi corpus quod illis, veluti membris, operibus constat, tenebrosum est, hoc est, plenum nigredine peccatorum: (Lib. 4. contra Julian. cap. 3. n. 33. ibid. p. 602.) atqui ubi agens finem suum ultimum in creatura constituit, tunc profectò non facit opera bona, intentione fidei bonæ quæ per dilectionem operatur; ergo totum quasi corpus, quod ex illis operibus coalescit, peccatorum nigredine inficitur.

3^o. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur: (Ibid. n. 21. pag. 596.) atqui ubi homo inter operandum, in creatura, tanquam sine ultimo, conquiescit, certè non propter hoc facit, propter quod facere debet; ergo, peccare convincitur.

4^o. Tandem Juliano sic objicienti: Si gentilis nudum operuerit, numquid quia non est ex fide, peccatum est? Ita respondet S. Doctor: Non quia per seipsum factum quod est nudum operire, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum: (Ibid. n. 30. pag. 600.) atqui de opere in Domino non gloriatur quisquis illud, non ad Dei gloriam,

sed ad creaturam, tanquam finem ultimum, refert; ergo non potest à peccato excusari.

Objic. 4^o. Spes christiana fertur ad Deum, tanquam finem ultimum, & tamen non fertur ad Deum propter se dilectum; ergo aliud est tendere ad Deum tanquam finem ultimum, & aliud tendere ad Deum propter se, sive amore caritatis delictum.

Resp. Neg. ant. Tunc enim voluntas fertur ad Deum tanquam finem ultimum, cum in eo sistit: atqui voluntas non potest in Deo sistere, quin illum propter se diligit. Si enim Deum propter aliud diligeret, tunc non in Deo, sed in alia re, nempe in creatura, ultimo conquiesceret; siquidem Deum inter & creaturam nihil est medii; ergo spes christiana non potest fieri in Deum ut finem ultimum, quin tendat ad Deum propter se dilectum.

Inst. Spes christiana non fertur in Deum, nisi prout nobis bonus est, non verò quatenus in se bonus & perfectus; ergo non tendit ad Deum propter se dilectum.

Resp. Neg. ant. Si enim spes christiana non tenderet ad Deum, nisi prout nobis bonus est, jam desineret esse virtus christiana, quia in ea Deus medii tantum, homo autem finis ultimi rationem haberet. Qui enim in Deo non quærit nisi suum commodum, certè utitur Deo tanquam medio duntaxat, & seipsum constituit finem ultimum: atqui per actum spei qui non tenderet ad Deum, nisi prout nobis bonus est ac utilis, homo proprium tantummodo commodum profeceretur, ut satis patet; ergo spem christianam deprimit, è virtutumque theologiarum numero eximit, quisquis fingit eam non ferri in Deum, nisi prout nobis bonus est, non verò quatenus est in se summè perfectus.

Objic. 5^o. Si teneremur omnes actiones nostras referre ad Deum ex caritate, sive propter

se dilectum, peccaret quisquis intuitu mercedis aeternae ageret: atqui contrarium sic definitum est à Concilio Tridentino: *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu mercedis aeternae bene operatur, anathema sit.* (Sess. 6. de justificat. can. 31.) Ergo non tenemus, &c.

Resp. Neg. maj. Cum enim merces aeterna sit ipse Deus, juxta illud Genesis: *Ergo merces tua magna nimis,* (cap. 15. v. 1.) agere propter mercedem aeternam, nihil aliud est quam agere propter Deum, tanquam finem ultimum; ergo non sine caritate, sive dilectione Dei propter se agit qui inter operandum mercedem aeternam sibi proponit, & Deum tanquam summum bonum summamque nostram beatitudinem expetit. Hinc S. Augustinus caritatem sic definit: *Caritatem voco animi motum ad fruendum Deo propter ipsum.* (Lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 10. n. 16. tom. 3. part. 2. pag. 50.) Idem passim docet S. Thomas: *Deus, inquit, in quantum est bonum beatificans ... supernaturali beatitudine, sic diligitur dilectione caritatis.* (1. part. q. 60. art. 5. ad 4.) *Caritas habet pro objecto finem ultimum vitae, scilicet beatitudinem aeternam.* (2. 2. q. 23. art. 4. ad 2.)

Et verò nemo nescit ita comparatum esse cor humanum, ut quò impensius aliquid amat, eò vehementius ejus possessionem expetat, ipsoque frui velit. Quis igitur in animum sibi inducat Dei possidendi desiderium à caritate esse alienum? Qui de caritate ita sentiret, ipsi injuriosus esset. Ex eo quò ergo teneamur omnes actiones nostras referre ad Deum, tanquam finem ultimum, sive propter se dilectum, perperam concluderetur peccare eum qui intuitu mercedis aeternae operatur.

Obj. 6^o. Quae acervatim congestimus Patrum testimonia id unum probant, nempe vitiosum esse quod fit positive contra caritatem, non verò quo fit sine caritate; ergo ex iis concludi non potest hominem teneri omnes suas actiones ad

Deum referre ex amore Dei propter se, sive ex caritate.

Resp. adversarios victimia contra se ipsos arma subministrare. Patentur enim hanc esse Patrum sententiam, ut vitiosum sit quidquid fit contra caritatem: atqui contra caritatem fit quidquid agitur sine dilectione Dei propter se; tunc quippe voluntas haeret in creatura propter se dilecta: id verò quid aliud est quam cupiditas caritatis inimica? *Tunc enim cupiditas, inquit Augustinus, cum propter se amatur creatura.* (Lib. 9. de Trinit. cap. 8. n. 13. tom. 8. pag. 844.)

Præterea passim testantur SS. Patres & maxime Augustinus, ut supra exposuimus, non fructum esse bonum, qui de caritatis radice non surgit; caritatem solam bene operari; caritatem solam non peccare. Quisnam autem est hujusmodi sententiae sensus obvius ac genuinus, nisi vitiosum esse quidquid fit sine aliquo caritatis motu?

Obj. 7^o. Etiam si concederetur nullum esse actum ex omni parte bonum absque dilectione Dei saltem inchoatâ, perperam tamen asseritur nihil esse boni operis, nisi quod ex caritatis radice surgit, quia caritatis nomen pro sola caritate habituali vulgò sumitur.

Resp. plurimi quidem Scholastici caritatis nomen strictiori eo sensu plerumque accipiunt: at Scriptores sacri, sanctique Patres illud generaliori sensu adhibere consueverunt, pro quavis scilicet Dei propter se dilectione, sive actuali, sive habituali, sive nascente & inchoatâ, sive adultâ & robustâ, sive dominante, sive non, ut patet ex plerisque locis supra descriptis. Hæc, v. g. Augustini verba: *Caritas sola bene operatur, de caritate habituali intelligi non possunt, quia S. Doctori affingatur error gravissimus. Inde enim sequeretur à peccatoribus ante justificationem nihil ex omni parte boni Deoque grati fieri posse; quod à Concilio Tridentino damnatum fuit: Si*

quis dixerit omnia opera quæ ante justificationem fiunt, vera esse peccata, anathema sit (Sess. 6. de justific. can. 7.) Quemadmodum enim iusti ex cupiditate, quæ nunquam in hac vita penitus extinguitur, interdum venialiter peccant; ita & peccatores ex inchoata caritate aliquid boni operari possunt.

Eodem generali sensu nomen caritatis usurpat Apostolus, cum ait sine caritate nihil prodesse: (I. Cor. 13.) id enim de sola caritate habituali quæ iustis tantum propria est, absque errore intelligi non posse rectè observat Etitius in hunc locum. Denique responsum nostrum confirmant centum Gallia Episcopi in suo doctrinae corpore, an. 1720, ubi sic habent: *Le terme de charité peut être pris en deux sens differens; 1º. pour tout amour de Dieu actuel ou habituel, naissant ou dominant; amour qui justifie, ou amour qui ne suffit pas pour justifier; amour propre aux justes ou tel qu'il peut se trouver dans les pécheurs, en un mot pour tout amour du vrai bien, pour toute bonne volonté. La charité est prise en ce sens en divers endroits de l'Écriture, des Saints Peres & de quelques Théologiens. 2º. Le terme de charité est pris ordinairement par S. Thomas, même dans une signification plus restreinte, pour la troisième vertu Théologale, pour l'amour habituel de Dieu, pour l'amour qui est propre aux justes, qui nous unit à Dieu, & qui nous rend les membres vivans de J. C. (Art. 4. pag. 36.)*

Obj. 8º. doctrinam nostram à Pio V & Gregorio XIII damnatam fuisse in Bulla, quæ edita fuit adversus propositiones Baio attributas. Sic enim habet decima sexta: *Non est vera legis obedientia sine caritate.* Et trigesima octava his verbis enuntiatur: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas quæ mundus diligitur, ... aut laudabilis illa caritas, quæ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur.*

Resp. 1º.

Resp. 1º. Plerique sentiunt istas propositiones non fuisse damnatas, nisi in sensu caritatis & cupiditatis *habitualis*, quasi inter utramque nullus sit amor medius, & peccatum sit quidquid operis ex caritate *habituali* vel dominante non prodierit: quem sensum hæreticum apertè jam rejecimus, teste Laurentio Berti, in Augustiano systemate vindicato. (Part. I. dissert. I. cap. I. Sect. 2. & seq.) Pii V. Bullam ita interpretati sunt Vasquez, Suarez, Contenson, Noris, 40 Galliarum Episcopi; (Instruccion pastor. de 1714.) centum ejusdem Regni Præsules (Corps de Doctrine 1720, art. 4.), & alii.

Resp. 2º. Suspiciantur nonnulli easdem propositiones idèò fuisse damnatas, quòd innuere visæ sint, omnia opera quæ ex amore Dei ortum non habent, mala esse non solum quia in Deum non referuntur, sed etiam in seipsis, ita ut nequidem ex officio bona esse queant. Hunc etiam sensum à mente nostra esse alienissimum testati sumus.

Resp. 3º. eò non spectare prædictam censuram, ut velit aliquid esse operis undequaque boni, quòd sine ullo caritatis, sive amoris Dei propter se factum non fuerit. Hanc enim quam defendimus doctrinam maximo in pretio semper habitam fuisse, à summisque Pontificibus contra illius obtrectatores non semel apertè vindicatam, plurima demonstrant facta. Unum aut alterum referemus. 1º. Quidem judicium quo Lovanienses articuli supra memorati, à Rom. Pontificibus, post maturam disquisitionem, declarati sunt innocui. 2º. Cum Henricus Norisus à quibusdam malevolis *Baianismi* insimularetur, eoque nomine ejus scripta in librorum prohibitorum indice ab hispano Inquirentore reposita fuissent, injuriam tanto viro illatam ferre non potuit Benedictus XIV, eamque jussit rescandam. Idem ille doctissimus & sapientissimus Pontifex Laurentium Berti, eandem ob causam *Baianismi* & *Jansenismi* vehementer accu-

fatum, ab omni erroris suspitione immunem declaravit, & adversus ejus obtrectatores in apertam Sedis Apostolicæ tutelam recepit. 3°. Denique nostram hanc doctrinam Romæ totâque in Italiâ palàm & liberrimè defendi, probant Theses plurimæ quæ singulis serè annis in lucem prodeunt: quod profectò non toleraretur, si Bullâ Pii V. damnata fuisset, vel etiam pro suspecta haberetur.

COROLLARIA.

Ex iis quæ huc usque diximus multa fluunt consectaria, quæ ad vitam christianam pertinent.

Colliges 1°. nunquam licitum esse propter solam delectationem agere. Cum enim omnia propter Dei gloriam facere jubeat Apostolus, violati hujus præcepti reus est, qui in iis quæ agit solam voluptatem sectatur. Hinc docet Augustinus in ipsis etiam actionibus quæ ad vitam conservandam sunt necessariæ, & quibus aliquem delectationis sensum Deus illigavit, maximè cavendum esse ne delectationem hanc ultimò quæramus. Alimenta & potum non summat Christianus, ut voluptati indulgeat, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quantum satis est, usurpet utentis modestiâ, non amanti affectu. (Augustin. lib. 1. de morib. Eccles. cap. 21. n. 39. tom. 1. pag. 702.)

Colliges 2°. eos qui opera quoad substantiam & finem proximum bona faciunt, quæ non ad Deum, sed ad seipfos ultimò referunt, non quidem in eo peccare, quòd opus ex se bonum fecerint; sed eam ob causam reprehensione dignos esse, quòd propter Deum, tanquam finem ultimum, ex amore saltem virtuali non operati fuerint: Non quòd ipsum factum, quod est operire nudum, sit peccatum; sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius, teste Augustino, negat esse peccatum.

Colliges proindè 3°. præcepti violatores habendos esse, qui scientiis operam dantes, de referendis ad Deum hujusmodi studiis nihil sunt solliciti. Ex se quidem laudabilis est labor, qui in iis addiscendis consumitur, quæ ratione sui bona sunt & utilia, quales sunt Philosophia, Theologia, &c. Sed peccat quisquis hæc studia eo fine suscipit, ut animum inani curiositate pascat, ut famam aliorumque existimationem sibi conciliet, ut præ ceteris eruditione emineat: tunc enim mentem vitiant *libido sciendi*, *libido excellendi*, quæ totidem sunt pravæ concupiscentiæ velut rami. Ad culpam igitur effugiendam, non satis est ut ab eorum librorum lectione absteineatur, quæ animæ per se noceant, quales sunt libri *Romanenses* & amatorii; sed præterea necesse est ut in iis quæ ex se bona sunt addiscendis, legitimum finem nobis proponamus; ut scilicet Deo placeamus, ut ritè obeundis muneris nostri functionibus sumus paratiores, ut Religioni & Reipublicæ utiles nos præbeamus. Cum autem libido sciendi & excellendi, omnibus studiis furtim sese immiscere soleat, summoperè curare debent qui scientias colunt, ne funesta hæc pestis in ipsorum animos irrepat.

Colliges 4°. illicitum & vetitum esse quidquid ad Deum referri non potest. Hujusmodi sunt corporis ac formæ cultus, ornatus à modestia alienus, colloquia periculosa, spectaculorum & comœdiarum frequentatio. Quis enim unquam eò dementiæ venit, ut in animum sibi induceret ejusmodi actionibus posse honorari Deum?

